



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Ex habitu Theologiæ absq[ue] præsidio scientiæ naturalis no[n] potest in
actu exercito solui vllum argumentum euidenter negatiuè, aut positiuè.
cap. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

mysterijs, & dicatur evidens, & hæc mysteria reuelata esse vera, & argumenta contraria solubilia, erit ne verum? Respondeo non esse, nam cum dico hæc mysteria reuelata, inuoluo coniunctionem reuelationis cum ipsis mysterijs, quæ est nobis viatoribus inevidens: & ita propositio illa resoluitur in hanc coniunctam, hæc mysteria sunt reuelata: & euidenter vera, cuius prior pars est inevidens, & consequenter posterior, cuius veritas pendet ex prioris euidencia, falsa est. At quando non determinando reuelationem ad peculiarem aliquam propositionem, aut materiam, absolute dicitur evidens mysteria reuelata esse vera, & argumenta contraria solubilia, non fit sensus coniunctus, sed conditionalis, hoc est, si qua est propositio reuelata, evidens est esse veram, & argumenta contraria solubilia: & hoc modo videtur loquutus Diu. Thom. in priori loco contra adducto, cum ait, *manifestum est probationes, quæ contra fidem adducuntur, non esse demonstrationes*. Loquitur enim de fide diuina, cui quiddam repugnat, evidens est non conuincere. Verum, quia nostram fidem esse diuinam est certum quidem, sed non evidens, idcirco etiam certum, sed non evidens est solui posse argumenta inducta ad illam destruendam: & ita manet responsum ad primum testimonium Diu. Thom. quem Caiet. & cæteri eius discipuli ita interpretantur, ut non velit esse evidens, omnia argumenta contra fidem esse solubilia.

XII.

Ad primum argumentum negatur consequentia, quoniam non est eadem ratio de euidencia credibilitatis fidei nostræ, & solubilitatis argumentorum, quæ contra opponuntur: nam euidencia credibilitatis non est euidencia naturalis de coniunctione extremorum, quibus constat veritas reuelata, sed de coniunctione credibilitatis cum obiecto credibili; quod propter motiua extrinseca, euidenter cognoscitur esse credibile. At euidencia solubilitatis respicit ipsos terminos veritatis oppugnatæ, siue argumenta, quibus oppugnatur, nec aliter haberi potest, quam per euidenciam notitiam coniunctionis extremorum, vel aqua pendet notitia evidens solubilitatis rationum oppositarum. Obijcies hoc requiri, ut in actu exercito ego euidenter agnoscam argumenta aduersus hanc, vel illam propositionem esse solubilia, non tamen ut in actu signato, & in communi ratione agnoscam solui posse argumenta omnia contra nostram fidem: ad hoc enim non requiritur in particulari notitia ali-

quorum terminorum. Respondeo, quemadmodum ut sit evidens, argumenta contra propositionem aliquam determinatam non concludere, & idem solui posse, requiritur notitia evidens de veritate, & non de sola credibilitate ipsius: ita quoque ut sit evidens argumenta contra nostram fidem non conuincere, & habere solutionem, necessarium esse, ut sit nobis evidens fidem esse veram; & quoniam talis euidencia non est, non est etiam euidencia solubilitatis. Non est tamen negandum, sicut est euidenter credibile fidei mysteria esse vera; ita quoque esse euidenter credibile argumenta contraria esse solubilia.

Ex habitu Theologiæ absq; præsidio scientiæ naturalis, non potest in actu exercito solui vllum argumentum euidenter negatiue, aut positiue.

CAPVT XI.

Dictum est superiore capite de solubilitatis argumentorum contra fidem euidencia, in actu signato, & in commune. Verum quoniam propria argumentandi ratio versatur circa propositiones in particulari, videndum superest qua probabilitate, vel euidencia solui queant in actu exercito singula argumeta, aduersus particulares propositiones reuelatas. Duran. ubi supra, existimat solum posse reddi solutiones probabiles, atq; adeo inevidentes mysteriorum fidei: & ille quidem loquitur congruenter ad suam doctrinam: namq; ut sæpius dixi, ex iisdem principijs soluuntur argumenta aduersus sententiam, quam tuemur, ex quibus eidem assentimur: Duran. existimat principia fidei reuelata solum probari à Theologo rationibus probabilibus, & idem consequenter asserit argumenta opposita ab eodem solui tantum probabiliter. Nā quæ admodum veritati reuelatæ non assentitur euidenter, ita neq; euidenter illi constat assertiones oppositas esse falsas ac solubiles rationes, quibus hæc probantur, illa impugnatur. Verum hæc doctrina, si absolute, & vniuersaliter intelligatur, non est vera; etenim inter mysteria fidei sunt aliqua euidenter agnoscibilia lumine naturæ; atq; adeo euidenter solubilia argumeta contraria, quo modo argumentandi, ac respondendi vtuntur sæpe Patres, dum impugnant errores contrarios ipsi lumini naturali intellectus, ut videre est apud Aug. li. cont. Manic. & lib. de ciu. Dei cont. Philos. Nec de eiusmodi veritatibus est dubi-

est dubitatio: nam sicut evidentur probari possunt: ita & solui argumenta contraria, & ita nihil de illis concludit argumentum Durandi: nec ego crediderim ipsum de ijs loqui, sed solum de illis, quæ non nisi ex diuina reuelatione nobis innotuerunt, vt patet exemplo sanctissimæ Trinitatis, quo vtitur.

Caiet. 1. p. q. 1. a. 8. §. circatertiam, præmittens distinctionem euidentiæ in negatiuam, & positiuam: priorem ait posse interuenire in solutione cuiusuis argumenti contra fidem: posteriorem verò solum, quando soluuntur argumenta red- dita ratione naturaliter euidete, cur negetur principia assumpta; tunc verò censet solui argumenta euidenter negatiue, quando intellectus respondentis videt se non conuinci ab argumento proposito ad as- sensum contrarium eius, quod tuetur, quamuis euidenter non agnoscat falsita- tem eorum, quæ assumuntur. Hæc enim differentia est inter probationem & res- ponsionem: quod ad illam requiritur, vt positiue appareat veritas, & vis argumen- ti: ad hanc verò sufficit, vt non constet argu- mentum habere vim; cum verò contra veritatem reuelatam nullum argumen- tum vim habeat, consequenter sequitur nunquam constare de vi probationis, at- que adeo semper Theologo est euides, ne- gatiue argumenta contraria fidei non con- uincere. Quomodo si heretico obijcienti omnem rem vnā numero esse vnā Hypostaticæ; ideoque in Deo non esse tres personas, Theologus respondeat cum di- stinctione, concedendo in re finita, ne- gando in infinita, ait Caiet. illum soluere ex scitis aliquomodo, non quia verè sciat euidenter naturam infinitam esse in pluri- bus personis, sed quia scit negatiue nullum haberi efficax medium ad illam proban- dam: & dicitur, inquit, scire negatiue, quando nullo modo cogitur intellectus. Ad hanc sententiā accedit Scot. citatus ca- pit. superiori, concedens omne argumen- tum factum contraries fidei posse solui euidenter, quatenus propositio falsa nun- quam habet euidentiā respectu intelle- ctus Theologi defendentis, & hunc sen- sum explicat Caiet. dictum D. Thom. art. 8. citato; Pro quo facit etiā idem S. Doct. super Boet. de Trinitate q. 2. art. 1. ad quin- tum, vbi sic ait: duplex est humanaratio, vna demonstratiua cogens intellectum ad credendum, & talis haberi potest de his, quæ sunt fidei: sed po- test haberi ad euacuanda ea, quæ fidem destruunt. Vbi rationem demonstratiuam, quam ne- get dari, vt intellectus cogatur ad creden-

dum, cōcedit dari ad infirmāda, quæ fidē destruunt. Et probatur quoniā illi, cui non est euidens veritas præmissarum assumpta- rum, ad impugnandam sententiam, quam tuetur, est euidens se non conuinci: atque adeo euidens quoq; illi est argumenta illa posse solui: sed nulli Theologo est euidens veritas argumentorū, quæ sunt contra fi- dem, quod enim est, euidens esse nequit: ergo etiam euidens illi est se nō conuinci, atq; adeo argumenta esse solubilia. Aliqui recentiores sequentes opinionem Caieta- ni, pro eadem referunt Aegid. quodlib. 1. q. 7. sed ibi solum dicit posse solui Theologo rationes, quæ adducuntur contra mysteria fidei, neque aliquid addit, quo significet posse solui euidenter.

Dico primum, nullo modò est dicen- dum Theologū soluere euidenter, aut ex- scitis, vel scire negatiue esse solubilia argu- menta contra mysteria, quæ ex sola reue- latione innotescunt. Non reperiō, qui hæc expressè asserat, sed sumi potest ex Docto- ribus, qui simpliciter negant eiusmodi ar- gumenta esse euidenter solubilia. Ita verò docent S. Thom. q. 2. de Trin. art. 3. in cor- pore. Ocham. 9. citata lit. P. & R. Duran. Scot. Bass. vbi supr. Syluest. q. 1. cōflat art. 17. §. 3. verbo *solubilia*, & art. 18. ad quartū, nec mirū est antiquos hoc nō attigisse; nā hæc distinctio est recens inuenta à Caiet. quæ recentiores alij postea sunt secuti. Ego verò nō possum illā probare: nam vel Caiet. loquitur de experientia, qua videt intelle- ctus, se actū nō cōuinci ab argumentis op- positis: vel de notitia aliqua, qua reddatur euidenter certus, nō esse vim vllam in ar- gumentis, quæ adducuntur: hanc secundam nō admittet, prior nō sufficit ad euidentiā etiā negatiuā, quæ vocat: ergo nō est vlla eu- dencia solutionis argumentorū cōtra do- gmata ex sola reuelatione nota. Assumptio quoad priorē partē est manifesta: fieri quip- pē nequit, vt notitia euidens, quod argu- menta opposita nō cōuincant, aliundē de- tur, quæ ex penetratione terminorū, aut eui- dente deductione ex principijs euidētibus, quæ duo nō sunt in mente viatoris, circa my- steria reuelata, vel eius opposita. Posterior pars eiusdē assumptionis ostēditur, quoniā aliud est experiri me actū non conuinci, aliud euidenter agnoscere argumenta ipsa suapte natura non cōuincere; hæc secunda notitia verè est euidēs, prior autē nequaquā, imò dari potest etiam, quando argumenta re ipsa solubilia verè non sunt: atq; adeo non sufficit ad vllam prorsus euiden- tiam solubilitatis: nam quemadmodum nullum argumentum, quod est solubile,

agnosci-

III.

S. Thom.
Ocham.
Duran.
Scot.
Bassol.
Syluest.

II.
Caiet.

Thom.

S. Thom.

agnoscitur euidenter esse insolubile: ita nullum, quod in se solubile est, agnosci potest euidenter esse solubile: posse autem dari experimentalem euidentiam, quod intellectus actu non conuincatur, etiam quando argumenta suapte natura continent veram rationem conclusionis atque adeo sunt re ipsa insolubilia, constat, quoniam inter opiniones Philosophicas quædam sunt de rebus omnino necessarijs, & argumentis suapte natura necessarijs probantur: & tamen, quia id euidenter non constat, vniuersi quique suam sententiam etiam re ipsa falsam tuetur; & experiri frequenter potest non conuinci se ab aduersario: nam si ad hoc de mente Caiet. sufficit, ut solutio sit ex his, quæ non apparent esse falsa, dato quod non sciatur esse vera, profecto qui suam opinionem re ipsa falsam, imò & impossibilem tuetur, reddendo rationes responsionis, quæ non apparent esse falsæ, experitur se non conuinci: atque adeo dicitur scire negativè nullum haberi efficax medium ad probandum oppositum positionis, quam defendit: quod fieri nequit, supponimus enim defendi ab ipso opinionem re ipsa impossibilem. Secundò aliud est non videre argumentum concludere, aliud videre non concludere: qui actu non conuincitur, non videt quidè argumentum concludere: nam, si videret conuinceretur: non tamen videt non concludere: ad hoc enim requiritur, ut penetraret vis argumenti, ut patet in disputationibus circa opiniones pro utraque parte probabiles: nam qui respondet probabiliter, hoc ipso non vidit argumentum concludere, non tamen propterea non concludere; quia euenire potest, ut re ipsa concludat, & neutrum appareat euidenter, sed solum probabiliter. Ita in materia fidei respondens non videt quidem argumenta concludere, non tamen proinde euidenter villo modo intelligit non concludere: sed solum certo, ineuidenter tamen intelligit non concludere: quare non video quid significet Caiet. cum ait, Theologum scire negativè nullum haberi efficax medium, contra mysteria reuelata.

IV.

Eandem sententiam Caiet. Doctores alij ita tuentur, ut dicant argumentum, non solum euidenter solui, cum respondens ex ipsa rei natura ostendit falsam esse aliquam ex præmissis assumptam ad impugnationem sententiæ, quæ tuetur: sed etiam cum aliunde reddit euidentem rationem, cur ipse sibi prudenter persuadeat, falsam esse aliquam ex proportionibus contra eius sententiam assumptis; tunc enim reddit eu-

dentem, ac irrefutabilem rationem, cum prudenter faciat persistens, in sua sententia, & iudicans fallax argumentum contra eam inductum. Huiusmodi vero ratio redditur Theologo potest, quandoquidem argumenta omnia, quæ contra fidem opponi possunt, non nisi inductione nituntur; ut si contra Trinitatem personarum sic obijciatur, hæc res vna numero secundum essentiam, est etiam vna secundum hypostasim; itemque hæc, & cæteræ omnes, quas cognoscimus: ergo etiam Deus, qui est vnus secundum essentiam erit vnus, non trinus, secundum hypostasim. Cui argumentationi respondere potest Theologus reddendo rationes, quibus euidenter ostendat se prudenter facere, negando propositionem illam, quæ est contraria fidei mysterio, & negligendo argumentum illud ab inductione sumptum. Inprimis dicit fieri posse, ut inductio fallat, & vti d, quod inuenitur in pluribus singularibus non sit in aliquo, tametsi in communi notione vocabuli cum alijs conueniat. Secundò asseret lumen naturale solum tunc inclinare ad assensum alicuius propositionis vniuersalis, quando lumen superioris ordinis nobis sufficienter testatur non docet assertionem illam pati exceptionem in aliquo particulari; ut de facto lumen reuelationis diuinæ Christianis sufficienter propositum, docet in Deo non repugnare Trinitatem personarum cum vnitatem naturæ. Tandem dicit, etsi mysteria diuina conueniant cum rebus creatis in communissima quadam notione vocabulorum; tamen secundum proprias rationes infinito intervallo distare à creaturis: ideoque incredibile non existimandum etiam secundum iudicium rationis humanæ, si naturæ diuinæ singulari conueniat aliquid omnino diuersum ab eo, quod conuenit rebus creatis. Ex quibus & alijs id genus rationibus, quæ adduci possunt euidenter, ostenditur prudenter negari à Theologo illationis eius consecutionem.

Verum hi auctores consumunt operam in probando, quod certum & indubitatum est apud Theologos, nimirum euidenter esse, mysteria nostræ fidei esse prudenter credibilia, & argumenta ijs contraria prudenter etiam reputari: ijsdem namque medijs quibus ostenditur mysteria esse prudenter credibilia, suadet etiam rationes contra eam adductas prudenter negari. Id verò, in quo est difficultas, non probant, sed supponunt: nimirum ad euidentem solutionem argumentorum sat esse rationes extrinsecas, quibus euidenter ostendatur pru-

dentur

denter negari principia assumpta ad euer-
tendam sententiam, quam amplectimur.
Quod sanè falsum est, nam euidentiā in
probanda ac tuenda sententia, eadē debet
esse mensura, eademq; principia: vt aut sit
euidens probatio alicuius veritatis, non fat
est euidenter ostendere eum, qui illi assen-
titur prudenter facere: ergo neque vt de-
fensio sit euidens, sufficit euidenter ostē-
dere prudenter facere eum, qui oppo-
sitis argumentis à propria sententia non
dimouetur. Maior est perspicua: nam eui-
dentiā, quod propositio aliqua sit falsa, su-
mitur ex euidentiā veritatis oppositæ: sic-
ut enim prior est veritas propositionis ali-
cuius, quā falsitas oppositæ, ita prior est
euidentiā veritatis eiusdem, & in ea funda-
tur euidentiā, quod opposita assertio sit
falsa, & ita si assensus affirmatiuus non po-
test esse euidens ex sola euidentiā credibi-
lilitatis, probabilitatis, aut prudentiæ in as-
sentiendo; neq; dissensus erit euidēs ex his
principijs, sed ex iisdem, quæ sunt necessa-
ria ad euidentiā assensus affirmatiui. As-
sumptio verò facili probatur: nam myste-
ria per se reuelata non posse euidenter o-
stendi, iidemmet auctores admittunt, &
merito: nam est sententia D. Thomæ, &
communis, vt supra dixi, & tamen euiden-
ter ostendi potest prudenter facere eum,
qui ipsis assentitur, vt constat ex communi
sententia doctorum in materia de fide, as-
sentientium mysteria fidei nostræ esse eui-
denter credibilia: quare motiua euidentiā
solum de prudenti ac rationabili ratione
assentiendi vel dissentendi, non reddunt
defensionem veritatis euidenter. Et con-
firmatur, quoniam vera euidentiā termi-
natur ad conexiōem, vel disiunctiōem
terminorum, ita vt ipsa in se pateat intelle-
ctui euidenter intuenti, eos inter se esse cō-
iunctos, aut disiunctos: at, qui habet eui-
dentiā illam prudentialem, non videt eui-
denter in se habitudinem terminorum
propositionis, quam negat: sed solum ha-
bitudinem prudentiæ cum assensu vel dis-
sensu: est enim illi euidens se prudenter fa-
cere, negando principium argumentatio-
nis factæ contra veritatem, non est autem
euidens propositionem, quā negat, esse
falsam: quod omnino requiritur, vt ipse
euidenter soluat. Ex quo facili soluitur
motiū sententiæ oppositæ: conceden-
da est enim assumptio, & eius fundamen-
ta: neganda verò maior, quæ absque pro-
batione supponitur.

VI. Dico secundum, Theologus plerisque
argumentis contra reuelata satisfaciit eui-
denter. Hæc est Caietan. art. 8. §. circa re-

Gillij comment. Theol.

tiam, Syluestri vbi supra, & aliorum, &
probat facile, quoniam quemadmodum
pleræque conclusiones Theologicæ pro-
bantur assumpta altera præmissarum ne-
cessaria, & euidente lumine naturæ; ita
quoque negando principia sumpta ab ad-
uersario, quæ nonnunquam repugnant ve-
ritatibus naturali lumine cognoscibilibus,
& reddendo rationem naturalem, solui
possunt argumenta contra fidem, & idē
im merito Durand. censet ea solum pro-
babiliter solui. Hanc sententiam Caietan.
Theologi recentiores re quidem ipsa con-
cedunt, omnes enim conueniunt, easdem
obiectiones posse solui euidenter; verbi
gratia, quæ sunt cōtra mysterium Eucha-
ristiæ, circa resurrectionem mortuorum,
& similes alias propositiones, quæ suppo-
nunt, vel inuoluunt aliquid naturale, &
ipso lumine intellectus euidenter agno-
scibile. Sed differunt quoad modum lo-
quendi, dicentes propositam assertionem
solum esse veram, quoad ea argumenta,
quæ indirecte, & ex consequenti pugnant
contra reuelata: nam ea, quæ directe pug-
nant, non posse euidenter solui censent, vt
probat ratio Durandi: quæ verò pugnant
ex consequenti, possunt, vt si quis ex eo,
quod non possit accidens separari à subie-
cto, probaret non remanere accidentia pa-
nis, is non directe oppugnet articulum,
qui in eo consistit, quod post verbariē
prolata maneant accidentia sine subiecto:
argumentum verò illud non directe pro-
bat non manere, sed contendit id proba-
re ex eo, quod ita fieri nequeat: cuius op-
positum nō est immediatè articulus fidei,
sola reuelatione notus, sed aliquid necessa-
riū suppositum ad articulum, & naturali
ratione cognoscibile.

VII. Mihi verò placet absolute modus lo-
quendi Caietan. namque vt argumentum
directe oppugnet aliquam positionem, fat
est vt pro medio assumat aliquid, ex quo
per se, & non per accidens, sequatur
oppositum positionis, quæ oppugnatur,
vt si quis probet conchas marinas non sen-
tire, quia non sunt animalia, directe op-
pugnat propositionem illam, conchæ ma-
rinæ sentiunt: quia procedit à destructio-
ne causæ ad negationem effectus: ita qui
in materia fidei argueret, non esse resur-
rectionem, quia anima non est immorta-
lis, & idem numero corruptum redire ne-
quit, licet falsò, directe tamen oppugna-
ret articulum resurrectionis à destructio-
ne suppositionis necessariū requisitæ; item
qui ex eo, quod inhærentia sit de ratio-
ne accidentis, argueret ip Eucharistia non

R

esse

esse species consecratas abique pane, directe oppugnet ipsam propositionem de fide: quemadmodum quomodo probaret lucem non esse per se liberam à subiecto, quia est accidens, verè ac directe oppugnet assertionem eius, qui diceret libere vagari extra subiectum. Fatcor equidem reuelationem de his rebus non fuisse de potentia, sed de actu: Verum, qui destruit potentiam, directe oppugnat actum: sed quoniam hæc diueritas est penes modum loquendi: id quod ad rem attingit, certum est, pleraque argumenta, quibus oppugnatur fides euidenter solui: Aduertendum tamen contra Caietan. quando Theologus utitur hoc soluendi modo, non procedere propriè ex habitu Theologico, sed ex eo, ad quem pertinet principium, aut conclusio euidentis, quæ utitur. Ratio est quoniam, ut superius tetigi, ab eodem habitu procedit probatio directe ostensiva conclusionis, & responsio ad argumenta contraria: si verò Theologus utatur medio demonstrationis ad probandum aliquid, non procedit ex proprijs principijs, nec utitur habitu Theologico; ergo neque quando utitur eadem ratione ad respondendum, utitur habitu Theologico.

VIII.

Sed petet quænam euidenter solui nequeant. Respondetur ea, quæ excedunt caput notitiæ humanæ euidentis: hæc verò sunt in duplici differentia, vel enim sunt talia absolute, vel quoad modum: absolute, utpote mysterium Trinitatis & Incarnationis: quemadmodum ea, quæ pendent ex libera voluntate Dei, quæ tamen alioquin non excedant caput nostrum, non tamen possunt aut demonstrari esse vera, aut euidenter solui argumenta: quibus oppugnantur. Quia igitur argumentis contra fidem rarò satisfiat euidenter, oportet explicare, an sint alij modi, quibus utens Theologus, non reputetur ab auditoribus quasi absurdi dogmatis assertor. Sunt autem duo, primus probabilis, alter verè ac propriè Theologicus: probabilis est, cum reddit rationes aliquas verisimiles, adducit similitudines, atque exempla, ut ait Diuus Thomas quæst. 2. super Boet. de Trinitate, ar. 1. Aureol. ac Durand. vbi supra, vel utitur testimonijs sapientum, ut ait D. Thomas: nam qui aliquo ex his modis respondet, etiam aduersarij non putent sibi omninò satisfieri, saltem iudicare possunt teneri, ac defendi eam doctrinam cum aliqua probabilitate, ut frequenter vsu venit ijs, qui conuersioni infidelium incum-

S. Thomas.

Aureol.
Durand.

bunt, qui primum suis rationibus, ac responsionibus, hoc obtinet ab infidelibus, ne fidem nostram absurdam reputent, ut forè antea reputabant. Modus respondendi Theologicus est, cum adducitur aliqua ratio sumpta ex principijs fidei, quæ quidem alioquin lumine naturæ non est euidentis, sed sequitur ex aliquo principio reuelato, quamuis interdum habeat admistum aliquid euidentis: quoad alteram partem distinctionis, huiusmodi est solutio, qua oppugnant Trinitatem personarum in unitate vnus essentia diuinæ ex eo, quod vna natura non nisi in vna hypostasi existit, Theologus respondet distinguendo antecedens, ac dicendo verum id esse in natura creata & finita, non in infinita, cuius distinctionis pars secunda non est euidentis lumine naturæ: alioquin cum naturali lumine ostendi possit infinitas Dei, eodem quoque cognosceretur Trinitas personarum, quod est contra testimonium Christi Domini, Matth. 11. *Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Est itaque pars illa ineuidentis, siquidem est conclusio Theologica ex reuelatis deducta: eodem modo si cui non sit euidentis, ut forè non erat plerisque philosophis, solam aptitudinalem inhaerentiam, non verò actuale esse de essentia accidentis, sed solum id credat, quoniam videt necessariò sequi ex reuelatis circa mysterium Eucharistiæ, & infideli argumentanti in Eucharistiæ sacramento, non esse sola panis accidentia, sed etiam substantiam, quia essentia accidentis est inesse, respondeat negando antecedens de inhaerentia actuali, concedendo de aptitudinali, verè respondet Theologicè; quoniam et si alioquin antecedens illud suapte natura possit esse euidentis, ipsi non est, sed solum id credit, quoniam videt sequi necessariò ex reuelatis.

IX.

Ad primum testimonium D. Thomæ, quod pro se facere Caietan. existimat, patet solutio ex dictis. Secundum ita explicat Syluest. vbi supra, ut dicat D. Thom. loqui, vel de comprehendente prima principia fidei, vel si de nobis loquatur, intelligendum solum quoad ea argumenta, quæ pugnant contra mysteria, quæ possumus demonstrare. Verum quamuis verè dicatur, tamen is non est sensus D. Thomæ; ut enim ex ipsis eius verbis patet, non loquitur de comprehendente, sed de nobis; agit enim de humana ratione, quæ similia non comprehendit. Deinde eodem contextu

verbo-

verborum negat demonstrationem probatiam mysteriorum fidei, quo admittit rationem ad euacuanda argumenta, quibus oppugnatur fides: atque adeo de ipsa loquitur; alioquin sophysticè loqueretur. Planus ergo sensus est, Diuum Thomam eo loco solum concedere, posse haberi rationem ad euacuanda ea, quæ fidem destruunt; an verò hæc sit demonstratiua nec ne, non dixisse: nam cum præmisisset duplicem esse rationem humanam, alterā, quæ est demonstratiua, negauit dari ad probandum: deinde verò dixit haberi posse rationem ad euacuanda argumenta contra fidem. Alteram scilicet ab ea, quam negauit ad probationem, alioquin frustra præmisisset distinctionem illam duplicis rationis. Ad argumentum neganda est secunda pars propositionis; etenim quamuis in actu exercito quis experiatur, se nunc ab argumentis oppositis non conuinci: non proinde euidenter scit illa esse solubilia: nam quamdiu non videt euidenter connexionem terminorum, obscurum illi est, vtrum solui possint, an non, vt explicatum est.

X. Ex dictis facile dissoluitur ratio proposita cap. superiori: nempe quod sola responsio negatiua non satisfacit aduersario: nam licet à singulis Christianis non exigi debeat alia ratio cur neget ea, quæ fidei opponuntur, quam quod sit à Deo reuelata; quod videtur D. Petrum indicasse, cum dixit Epistola prima cap. 3. *Parati semper ad satisfactionem omnipotentis rationem de ea, quæ in vobis est, esse*: nam fidei, quæ nititur auctoritate dicentis, optimè assignatur ratio reddendo auctorem eius, & ostendendo in quo consistat: Cui li audientes non acquiescant, nihil refert: nam etiam prædicante Paulo de resurrectione mortuorum, alij irridebant: alij nouorum demoniorum annuntiatorem appellabant, Actorum 17. Tamen à Doctore, qui proficitur habere se scientiam eorum, quæ credit, ac prædicat, opus est aliquam præter fidem rationem verisimilem haberi, loquendo congruenter ad principia naturæ & reuelationis: cum enim verò solum falsum repugnet, & principia Theologica verissima sint, defendi possunt nihil admittendo falsi, nihil veri negando. Quod in sectis fieri nequit: nam cum falsæ sint, ac fabulosæ, & falsum; tum vero, tum etiam falso repugnet, defendi nequeunt, quin earum patroni ad absurda, & contraria asserenda compellantur. Vnde rectè docuit san-

ctus Thomas opusc. 59. cap. 1. omnes errores infidelium non solum per sacram scripturam, sed etiam per rationes elidi posse. Theologus verò, & fidei, & veritati naturali congruenter loquens, potest sua dogmata tueri. An verò hoc præstet semper ex habitu Theologico, an ex alio, quod in fine argumenti tangitur, iam supra explicatum est.

Habitus Theologicus est acquisitus, non infusus, supernaturalista-
men.

CAPVT XII.

Q VONIAM Theologia medium locum dignitatis vendicat inter fidem, & scientias humanas, & hæ sunt habitus naturales acquisiti, fides supernaturalis infusus, oportet explicare, ad quodnam ex his membris pertineat, & quidem illi, qui sentiunt Theologiam non esse habitum à fide distinctum, facile respondebunt esse supernaturalem infusum, sicut ipsa fides; qui verò existimant non pendere per se ab aliquo principio supernaturali, nec ab assensu fidei infusæ, sed solum à fide naturali & acquisita, contra respondebunt esse simpliciter naturalem & acquisitum, quoniam habitus conclusio-num non excedit dignitatem habituum principiorum. Vtrique verò loquuntur congruenter ad sua principia: & ita in his duabus sententijs nulla est difficultas in dijudicando, sit ne Theologia habitus naturalis, an supernaturalis. Sed enim cum oppositum vtriusque existimem, nimirum & Theologiam esse habitum distinctum à fide infusæ, quod ex professo ostendam tractatu 6. cap. 2. & pendere per se à principijs reuelatis, & assensu supernaturali ipsorum, vt tractatu 2. cap. 7. probatum est. Restat vt explicem difficultatem propositam, quæ hoc supposito locum habet.

Esse verò Theologiam habitum naturalem probatur. Primò, quoniam omnis habitus acquisitus est naturalis: Theologia verò est habitus acquisitus: ergo & naturalis. Maior propositio constat inductione, non enim assignabitur vllus habitus nostris actibus acquisitus, qui non si-